

Subtilissimi Doctoris Joānis Dun-
fij Scoti moderatus est in Aca-
demiā nostrā Mexicanensi, &
apud Senatū Fidei pro Censu-
ris Theologicis fuit destinatus.
Splendidis alijs in Provinciā suā
honoribus fuit & Definitorem
agens & Angelopolitani Cœnobij
Guardianum, quæis defunctus
muneribus, fermeque in simul vi-
tā, Mexici non ita pridem ulti-
mam clausit diem, fratribus jux-
tā acceptus & exteris. Edidit ha-
bitum à se idiomate hispano ad
S. Dominici Imperialem Mexi-
cœum Conventum Sermonem, cui
titulum dedit sequentem.

*Sacrum certamen altiozem inter sa-
pientiam & demissam humilitatem
amanissimi nostri Parentis & In-
cluyi Patriarchæ S. Dominici de Guz-
man.* Mexici, typis D. Mariæ de
Ribera 1748. in quarto. Legitur
tom. 97. Collecti nostræ.

Mss ejus Sodales si evolve-
rint, hęc adjiciant amabimus

Cursum Philosophicum.

Tractationes Theologicas,

Et

Conciones multas.

471 FR. AUGUSTINUS DEL
HIERRO ET ARGORA, Natione,
ni fallimur, Mexicanus juxtāque
Patria, Ordinis Beatissimæ Vir-
ginis Mariæ de Mercede alum-
nus in Provincia Mexicanensi,
atque in ea Prædicator Emeri-
tus, tertiumque Præsul Cœnobij
& Sanctuatiij à Remedijs dicti,
edidit

Panegyrim de sacra Christi Do-

*mini è Cruce pendens Imagine, quæ
apud Zacatecanos multa colitur re-
ligione.* Mexici, typis Hæredum
Joannis Josephi de Guillena Car-
tascolo 1715. in quarto. Legi-
tur tom. 99 Collect. nostræ.

In Schedis reliquit

Sermones multos.

472 P. AUGUSTINUS DE
JAUREGUI, Natione Mexicanus,
prænobili Familia Mexici ortus,
liberaliterque educatus, Societa-
tem JESU in Provincia Mexica-
na juvenis petijt, in qua studijs
se ita Humanitatis, Philosophiæ,
ac Theologiæ exercuit, moribus
que præfuit, uti quatuor nun-
cupatis Deo votis Professos inter
Patres jam diu claruerit. Gram-
matica tradendæ, Rhetoricæ iti-
dem Mexici ad Liceum Familiæ
Maximum, Discipulis multis in-
cubuit, moxque Philosophiam in
eādem Palestrā per triennium è
Cathedra docuit. Apostolica prop-
rij Instituti ministeria, & apud
Sanctandream quondam, &
multis ab hinc continenter an-
nis apud Domum Professam cu-
rat, in Oratoriā Sacrā facundus
ac felix, pro Confessionibus &
consultationibus frequenter qua-
situs, ab ijs præcipue qui se chris-
tiano ritu ad extremum agonem
comparant. Largis in pauperes, è
piorum censu eo uti cupientium
ductore, elemosynis notus, plu-
res etiam Virgines, varijs Deo in
Monasterijs sacrandas, multā,
imò integrā quandoque dote ju-
vit, atque ad pia alia opera non

con-

consilio tantum, sed manu egre-
giam tulit opem. Pergit etiam
num eidem intentus, nosque
propterea abstinemus elogijs, cæ-
tera debitis, viri clarissimi, quod
& nostra cum ipso necessitudo vi-
raque ejus, quam diuturnam opa-
ramus ex animo, prohibeat. Scri-
psit

*Poeticam pro Natalitio Domini, à
Sodalibus excipiendi Iustibus numero-
sis, Concertationem, Bombycis typo
Puerulum exhibentem.* Extat in li-
bro ejus argumenti Opusculis de-
stinato, ad annum 1715, in Bi-
bliotheca Maximi SS. AA. Petri
& Pauli Collegij.

*Cursum Aristotelicæ Philosophiæ S.
Petro de Alcantara (in quem est
insigni pietate.) nuncupatum: à
Summulis reliqua complecten-
tem, quibus ille nostratum mo-
re integer absolutusque evadit.*
Extat apud nos Mss tomis 4 in
quarto.

Resolutiones ad Quæstia Moralia.
Quibus Author pro munere, cui
incubuit, eorum socijs, Patribus
satisfecit.

*Conciones varij argumenti plures,
Prolusiones latina, aliaque amano-
ris litteratura.* Mss.

473 F. AUGUSTINUS DE LE-
DESMA, Natione Mexicanus &
Patria, Ordinem Franciscanum
in Provinciā S. Evangelij am-
plexatus, ubi Philosophiam ex-
colerat atque Theologiam, sa-
cro Pulpito frequentissimam de-
dit operam, è qua Prædicatoris
Generalis & Emeriti titulum re-

portavit, Tertioque Pœnitentiū
Ordini præfuit. Reliquit Mss to-
mum idiomate hispano

Sermonum variorum in quarto,
qui habetur in Bibliotheca magni
Cœnobij Mexicani S. Francisci.

474 P. AUGUSTINUS MA-
RIA DE LUYANDO, Natione Mex-
icanus, Mexicis cunabulis usus,
& domo multis clara stemmati-
bus, Jesuadum familiæ in Provin-
ciā patriā, ubi primum per æta-
tem licuit, se innexit. Amœnio-
ribus excultus disciplinis, eas in
publica SS. AA. Petri & Pauli
Collegij Aula Discipulis multis
exhibuit: Philosophiæque appri-
mè donatus atque Theologiæ,
lauream, pro Sociorum ritu su-
premam emeruit quatuor Pro-
fessione votorum, quæ non nisi
probatis ac sapientibus viris de-
cernitur, quique utramque Fa-
cultatem illam possint in publi-
cā quaque Universitate docere.
Multa pro instituto ministeria
gessit industriè, à quibus apud Ca-
lifornias præsertim obitis laudem
equidem reportavit. Scripsit

*Concertationem poeticis numeris
peragendam in recens nati Pueri Je-
su memoriam. Maligranati Symbolo
expressi.* in quarto. Habetur in
Libris Argumenti
hujus Opera complectentibus, ad
annum 1727. in Bibliothecā me-
morati supra Collegij Maximi.
*Conciones item hispanas, Proluso-
nes latinas, & alia amano-
ris litteratura.* in quarto.

475 P. AUGUSTINUS DE

ME-

MESA, Natione Mexicanus, Sonora in Provincia natus, Mexicam Societatis JESU juvenis adiit, in qua moribus & doctrina clarus, quatuor votorum professione se religavit. Sexennium in Philosophia tradenda posuit, nam postquam Angelopoli Sodalitas & exteros triennio erudierat, eandem justis spartam ornare, Mexici in Maximo SS. AA. Petri & Pauli Gymnasio triennio altero confluentibus auditoribus multis Aristotelica placita exhibuit. Ut erat tamen ad multa ingenio natus excultusque studio, alijs & alijs pro tempore & Superiorum iustione munibus institit, donec ad sacrum suggestum Angelopoli destinatus, Praefectusque insigni ad S. Spiritus Sodalitio, huic immortalis fuit anno 1752. Scripsit

Philosophiae Cursum Aristotelicæ, Summalis, Logica, Physica & Metaphysica, Animastica, de Ortu & Interitu, deque Caelo & Mundo Libris consistentem.

Circumfertur Mss ab ijs multis, qui docentem in Cathedra Augustinum exceperunt. Plures item *Conciones*, quæ apud Symmistas suos opinamur itabunt, homine super facis suis fundito, & cum à litteris, tum etiam à religiosa vitæ moribus commendato.

476 D. AUGUSTINUS DE MORA, vide sis F. ANDREAS A S. MICHAELE, cui adscripsimus Librum Augustini germani ejus fra-

tris nomine editum de Inferijs Caroli II, titulo *Sol desiciens*, &c. 477 D. D. AUGUSTINUS OSORIO DE SALAZAR, Natione Mexicanus & Patria, juris Civilis in Universitate Mexicanensi Doctor, ejusdem Facultatis Antecessor Vespertinus, seu Cathedra Codicis Moderator Perpetuus, non sine lite cum Doctore D. Gaspare de Chaves tracta, fuit renunciatus anno 1605 die 16 Junij, quo fungens munere scripsit.

Commentaria in aliquos Justiniani Codicis titulos.

Ejus meminit Plaza in Chonicis Academicis lib. 3. cap. 7. n. 27. & 29.

478 D. AUGUSTINUS PEREZ DE VILLAREAL HERNANDEZ ET POSTICO, Natione Mexicanus, ortus Mexici, optime à pijs genitoribus educatus, animum ad studia litterarum admovit, Maximumque Societatis JESU Collegium pro Latinitate haurienda, moxque etiam pro Philosophiâ adivit. Academico ritu donatus laurea, sedulam utrique juri operam dedit in Universitate nostra, tum etiam non nullam Theologiam, hujus ut non esset Facultatis nescius, altera pro munere imbutus & professione sua. Viridi sacrorum Canonum insula doctorali conspicuus, candidatum tandiu egit, donec Cathedris gradatim præpositus varijs, Clementinarum Professor, mox Vespertinus, ac tandem De-

creti

creti Antecessor fuit institutus. Pro causis in Foro tuendis, ea qua deest Ecclesiasticos viros moderatione (erat enim Sacerdotio iniciatus) à Regijs exceptus Senatoribus; à Quæstoribus verò Fidei inter Consultores vocatus est. Gravitate quod emineret à vita & doctrina, Mexicanâ Cleri electione, Comitibus ad id negotij coactis, pro erigendo ad Tridentini Concilij præscriptum & normam Collegio Seminario Metropolitanæ Ecclesiæ, Delegatus, suas egregio operi partes impendit; atque ut erat piissimus, Sodalitates, quæ sunt Mexici illustriores, & quibus etiam præfuit, exemplo factus omnibus, frequentabat.

479 Præ cæteris verò S. Philippi Nerij Sacerdotibus se addixit, qui tunc quidem temporis Instituta Vallicelana, quæ à S. Parente Oratorij Congregationi fuere instillata, non dum tenentes, proludebant eis tamen, & ut in mores postea inducerentur optabant: ea propter, paucis, qui in Hospitium coa-luerant, comitem se Noster junxit, quibus etiam, & reliquis, suas quisque, incolentibus ædes, triennio præfuit. Interea loci, quod leges, quæ Oratoriani ea tempestate Mexici tenebantur, splendidis & extraneis officijs non interdicere, initam jam pridem à se Noster viam sequutus, qui & in Ecclesia patriâ, & in Vallis-

nicatus prælectionibus & alijs de jure periculis litterarijs perierat, Doctoralem, ut dicimus, Mexici tenuit, seu potius primoribus labijs libavit, nam nono ab edita possessione die, vitæ clausit extremum 7 Septembris anno 1595. Eximia adversus S. Philippum pietate fuerat, ejus ut sectatores in Collegium evocaret, cõventusque ad instar Romani de Vallicelâ jaceret fundamenta, ubi Praefectus Sodalium fuit institutus, angustissimum usque eò amplificari Hospitium curavit, emptis proximis ipsi domibus vetustate improbis & ruinâ, inibi que extructis conclavibus octo, in quæ recipere se Præbyteri possent, qui Dei cultui & propriæ invigilarent alienæque proximorum saluti. Et ipse quidem in hanc curam intentus, ac sæpe piissimæ exercitationi, quæ Via Crucis audit, incumbens. Misericordia in pauperes notus erat insigni, cæteraque non obscurus virtute. In supremis, nisi fallimur, tabulis suam Oratoriensibus librariam suppellectilem legatam voluit, restanturque, quæ multoties scrutati sumus volumina, Augustini nostri subscriptione signata apud Bibliothecâ Mexicæ Congregationis jam pridem instructam. Scripsit.

Pppp

Com-

Commentaria in Titulum de Summa Trinitate & Fide Catholica.

Commentaria in Titulum de Rescriptis.

Commentaria in Titulum de Electione.

Commentaria inde Consecratione ad distinctionem quartam Decreti Gratiani.

Uti è Libris Academicarum Lectionum imbibimus.

Meminit ejus P. Julianus Guierrez Davila in Monumentis Historicis Congregationis Oratorij Mexicæ parte 1. lib. 2. cap. 22. pag. 112 à num. 250. ad 259.

480 FR. AUGUSTINUS DE QUINTANA, Natione Mexicanus, apud Antequeram Goaxacæ Civitatem primariam natus, latinæque doctus, 16 ætatis anno Ordini Prædicatorum, in Cœnobio patrio habitu assumpto, professioneque factâ 25 Maij. 1688, se adjunxit. Majoribus incubuit studijs, profectuque nequitquam pœnitendo ex illis relato, lacris initiatus mense Octobris anno 1695 in Nationem Mixe dictam, quæ pruptos incolit montes, nimio terræ succo improbos, & perpetuis fere nebulis ingratos ac injucundos, pro ut in votis habuerat jam inde ab incæptis studijs, destinatus, corpore licet imbecillo, imò & valetudinario, alacri tamen animo provinciam aggressus est oppido acerbam. Idioma genitum difficilimum est, si quod ullum in Septentrio-

nali America, barbarum certè, pronunciatuque asperrimum; cui tamen addiscendo tam strenuè se dedit, brevi ut non modò in familiari consuetudine uteretur eo, sed verò etiam publicis concionibus ad populum habitis. Interca loci, Religioso Parocho ad plures abeunte, in hujus ipse locum successus, mirum planè est quanta munus illud prudentiâ, virtute, & Indorum commodis totos 28 annos obierit, dignus proinde quem Parochorum dixeris typum à frugi Ministris imitandum.

481 Porrò tam Indis illis fuerat acceptus tamque jucundus, ut vererentur ipsum juxtaque diligenter. Certè onere Parochiali deposito anno 21 aut 22 latæntis sæculi, quòd ægra præpeditus valetudine, pergere in officio haud posset, nihilo tamen minore ipsum diligentia Mixeniani invisabant consultandi ergo cum anime, tum etiam domesticæ rei negotia. Ipse in Conventum Antequeræ regressus, præfectusque Valetudinario, eximia egrotis subvenire in omnibus diligentia charitateque satagebat, donec Præsides destinatus pro Domino Zaachvilla, in quam Provincie solent Rectores abscedere, in eam translatus quadriennium posuit; rursus verò quòd morbi queis afflictabatur, multò ingravescerent, sinitur Antequeræ, egrotos inter, quibus pridem auxilio fuerat, adnumeratus. Nec propterea

laboribus subduxit se adhuc pro Indorum commodis exantlandis, his etiam temporibus in quibus quiescere oporteret hominem nimia defatigatione lassatum destitutumque viribus: nam conscribèdis se Libris dedit Mixeniano Idiomaticè admodum profuturis, cum Indorum institutioni, tum ministrantium ipsis Parochorum commoditati; fructusque in majori ætate tulit optimos, quos longo usu & studio Idiomaticè secerat, rigarat, accuraveratque.

482 Quòd autem, præter semisofolium Contritionis formulam exhibens, nil penitus barbaro nimis & inculto sermone editum adhuc esset post geminum seculum, diligentissimis ceteroquin viris nimia asperitate deterritis, quæ scilicet confragris Mixe gentis durissimis respondeat & perpetua caligine obscuris; suas ipse elucubrationes procurdere, & publica luce donare constituit, devexâ licet ætate & morbis afflictâ Angelopolim petens semel anno 1729, & iterum 1732 Urbem multis à Goaxacensibus disitam parafangis (nec enim propius Officina erat) ut typis ederet Libros, quibus corrigendis vix non ipse solus habebatur idoneus. Hoc tandem functus munere, ad propria reversus, anno sequenti 1734 die 5 Maji Sacramentis, Ecclesiasticis que procuratus auxilijs in Antequerensi Conventu obdormivit in Domino. Editi porro Libri tres

utrâque Linguâ Mixe scilicet & Hispanâ, sic habent. Primus.

Institutio Christiana, in quarto & 600 pagg. Continet autem, Methodum Mixe loquendi, & hujus Idiomaticæ Artem. Institutionem Christianam, & incipientium Ducem in cælum, vibus distinctam partibus, quarum prima de Mysterio SS. Triados, & divinis Processionibus agit. Secunda Mundi conditionem expendit. Tertia in Humani generis Redemptione ponderandâ versatur. Angelopoli litteris Viduæ Michaelis de Ortega Bonilla 1729.

Secundus hunc præfert titulum.

Doctrina Christiana, & expositio præcipuorum nostræ S. Fidei Catholicæ Mysteriorum. Adjacet Tractatus de Confessione sacramentali, seu de Penitentia Sacramento pagg. 128. in quarto. Nuper dictis formis Angelopolitanis & eodem anno 1729.

Tertio demum hoc nomen dedit.

Confessionarium, hoc est, pro instituendâ sacra exomologesi pendium idiomaticè Mixe & Hispano. Accedit Vernacula Oratorum ad Christianam Doctrinam spectantium Interpretatio. Demum, Summa Mixearum vocum in quarto, pagg. 148. Angelopoli in eadem Typographia 1733.

483 M. F. AUGUSTINUS DE LOS REYES ET RIBERA, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, Regalis Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Sodalis, multâ fuit conspicuus

eruditione, & gestis muneribus clarus. Lector Philosophiæ & Theologiæ statutis in Familia curriculari, Magisterij suo tempore laureâ donatus, Studijs juxta & Collegio Mexico à S. Petro Pafchasio nuncupato, præfuit. Cænobio & Goaxacense & Mexicanense, quod Primarium est Provincia, Commendator administravit; ipsique Provinciæ primum Vicarius, dein Provincialis præpositus fuit. A Censuris Theologicis, titulo functus & munere, apud Novæ Hispaniæ Tribunal multi habitus est. In Episcopatu Goaxacensi Examinatorem egit Synodalem. Edidit à se habitam in Metropolitana Ecclesia, coram frequentissimâ & gravissimâ coronâ, pro S. Cruciatâ Bullâ publicè expendendâ, Concionem hispanam, cui titulum dedit

Copiosa pro vivis & defunctis Catholicis à S. Cruciatâ Bulla redemptio. Mexici, typis Lupercianis 1728. in quarto.

Conciones ejus reliquas, & Translationes Philosophicas ac Theologicas à Socijs hic addendas relinquimus.

484 P. AUGUSTINUS ROA, cujus Natio & Patria nobis est in ambiguo, certum tamen in America Mexicana Domicilium, Societatis JESU alumnus, apud Taraumaram gentem sacris instituendam christianis deductus, eximio pro Dei gloria & animarum salute zelo & labore, pro ijs qui ipsorum invigilaturi reli-

giosis institutionibus & politicis sunt, scripsit

Artem pro Taraumarensi idioma te nanciscendo,

Quam se vidisse dum inibi ageret, testatus est R. admodum Pater Joannes Antonius Balthasar, ejusdem Societatis Mexicanæ Provinciæ, dum hæc scribimus, Præpositus, vir Clarissimus.

485 D. AUGUSTINUS DE SALAZAR ET TORRES, Natione Hispanus, Numantiæ antiquissimâ præque nobili & fortissima Civitate ortus, genitoribus longâ majorum clarissimorum serie conspicuis, triennis in Americam nostram ab avunculo illud. D. D. Marco de Torres, Jucatanensi Episcopo abductus, Domicilio & Studijs Mexicanus evasit. Nam, si non fallit, quæ Libris præfixa Nostri est, de ejusdem vita Commentatio, natus est anno 1642; avunculus porro Hispania excessit Jucatanensem verlus Provinciam anno 1645; nisi delusus est Aegydius Gonzalez Davila; ut proinde quinquennis Augustinus, erratâ facile numerorum putatione, ab memoratâ Commentationis Scriptore dicatur. Biennio post, scilicet anno 1648 Illmûs. D. Marcus in Gubernatorem Novæ Hispaniæ à Catholico Rege destinatus, Mexicum petiit, secumque Augustinum, id certè temporis quinquennem derulit, quem, fato ipse concedens citissimè, nimirum pro-

ximè sequenti anno 1649 propinquis forsan aut amicis commendavit Mexicanensibus, ejus qui curam in se & institutionem susciperent. Puerulus indole ad litteras paratus aptissimâ, & prævidido ingenio ac felici memoriâ, ubi primis rudimentis imbutus fuerat, Latinis ornandus Rhetoricisque ac Poeticis disciplinis, Maximi SS. AA. Petri & Pauli Societatis JESU Collegij Gymnasia adivit, à quibus gloriam pro ætate illa, imò pro longè grandiore, maximam reportavit. Duodecim enim annos natus, in publicâ Collegij luce, coram delibatissimo sapientum flore constitutus, & recitavit abstrusiori conscripserat stilo, & recondita sententia carmina eruditione inclyti Cordubensis D. Ludovici de Gongora, Hispanos inter vates acclamatissimi; & quod eruditissimis etiam negotium faceret, quæ OEdipo egent plurima extricavit appositè, nullisque non satisfecit difficultatibus, ab ijs illi propositis, qui multam in eo excolendo Poeta operam & studium posuerant. Scilicet tantâ jam inde erat eruditione, ut Græcos, Latinos, Italos, & Hispanos vates multa familiares sibi lectione & meditatione fecisset, atque floridissimam segetem comparasset.

486 Quo autem uberiori longè conquereret, imbibitâ primum inibi Philosophiâ, mox se in Academicas utriusque Juris Aulas recepit, Theologiam coluit,

nec prætermittendam sibi Astronomiam duxit & politiores quasque litteras, quibus dein subsidijs uteretur & in ætate futura, Poësimque excoleret, cui in primis natus, suopte ferebatur numine, Mexico, quem incolebat, solo genium mirè juvante, ad blandienteque Americano cælo pronæ in amœniores cogitationes menti. Exploratum enim à Sapientibus est, quantum loci feracitas, perpetuo florentis vire, & ad innoxias delicias compositi, delicatiora insillit cogitata, quasi que inspergat pulcherrima excellentibus litteræ poliores; ut sub inde memoria tradiderit in de Magnalibus Mexicis libro, Illmûs D. Bernardus de Balbuena, nulli in Poetica facultate secundus (quam illi laudem attribueret non est veritus emunctæ naris Criticus D. Nicolaus Antonius) jam inde à dimidio fere supra integrum sæculum, institutâ Mexici solennissimâ Vatum concertatione, nihilo tercentis pauciores & cultissimos comparuisse, quorum singuli amico inspirante Apolline, Musisque gestientibus, de lauro adstrictâ numeris oratione certaverint.

487 Noster eos inter qui sua ætate florebat, nulli concedens, & Sapientibus viris, & ipsis Principibus acceptissimus, laudatorem cum primis habuit Excmûm. Ducem Alburquerqueum D. Franciscum Fernandez de la Cueva, Regis nomine id temporis rerum

Varias item in selectos Aphorismos observationes.

Alia mittimus, quæ è suggestu licet tradiderit, libros tamen Academicos annuos casu vel nos exquirentes fugerunt

490 P. AUGUSTINUS DE LA SIERRA, Natione Mexicanus & Patria, clara majoribus stirpe generis, germanis item fratribus claruit, Societatem JESU in patriâ amplexatus Provinciâ, à litteris probatus & moribus, quatuor Professus voris fuit. Grammaticam tradidit & Rhetoricam apud Maximi Collegij Mexicani Gymnasia. Triennium quoque in edocenda Philosophiâ strenuè posuit. Mox Antiquæ Goaxacensium Theologiam è suggestu non sine plausu aperuit. Varijs, quæ Familiæ instituta ferunt, munijs incubuit, & à Secretis Provinciæ fuit. Quamquam libens domi contineretur, vixque non nisi coactus inde prodiret, ut erat tamen ad negotia quæque agendum aptissimus, Procurator Romanam destinatus fuerat à Congregatione Provinciali: quo autem ne defungeretur officio mors citatorum ipsum gradu præveniens, in causa fuit, Scripsit anno 1683.

Poeticum Certamen pro Jesu Christi Aserioris nostri natalitio colendo, Leonis unâ & Agni Symbolo dato,

Ut legere est in Volumine argumenti hujus Opuscula complectente, quod extat in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani.

Cursam Philosophicam.

Tractatus Theologicos varios.

Amaniora quadam Opuscula.

Ubi autem isthæc delitescant Mss, an verò penitus intercidere sint, ignoramus.

491 D. AUGUSTINUS DE VERDUGUEL, Natione Mexicanus & Patria, postquam Latinis dedit operam litteris, Philosophiam excoluit atque Theologiam, Laureasque in Academia Mexicanensi tulit. Sacerdotio initiatus, & pro Confessionibus excipiendis, Sacramentisque alijs administrandis publicis litteris approbatus, Vicarium multos annos Parochialém egit in Mexicâ Metropolitanâ Ecclesiâ, ad quam Primarij quatuor Urbis Curiones resident. Mox nocturnus, ut dicitur, Parochus Edituusque major electus, huic in presentiarum muneri strenuè vacat. Hæc inter, frequentissimos, cum alibi, tum etiam in Cathedrali Ecclesia habuit sermones, ingenio juxtâ & eruditione ex arte conditos. Verrente autem anno 1752, indistincte Mexici celeberrimo Jubileo anni sancti Apostolicis Benedicti XIV Litteris, & eximâ in Hispanos & Americanos beneficentiâ, ut auxilio Fidelibus esset Indulgentiam sacram & reliqua Pontificia lucraturis indulta, prævia Sacramentali confessione, hancque facili negotio expediret, Libellum edidit hispanâ linguâ

Dialogum pro addiscenda methodo instaurandi Dei gratiam, tuta Sa-

crâ

eramentalis praxi confessionis, mediaque offerentem pro natâ amicitia divinâ servandâ. Mexici Formis D. Maria de Rivera 1752. in 16.

Ineditos habet *Sermones* publicâ luce dignos, nec uno tomo comprehendendos, aliaque *Opuscula.*

492 D. AUGUSTINUS DE VERGARA, Natione Peruanus, apud Urbem S. Fidei, quæ Novi Regni Granatensis est caput, ortus, in ejusdem Civitatis clarissimâ Universitate infulam Doctoralem in Theologiâ assequutus, Mexicum deinde petens, Academica frequentavit Gymnasia, Jus utrumque, Canonicum & Civile hausturus, quæc altissimè imbibitis, laureas emeruit, proque capellepda Fori praxi institutâ cum optimis & exercitatis Patronis & Causidicis consuetudine, ipsis adscriptus Regij approbatione Auditorij, nulli postmodum concedebat. Insigni erat in arduis quibusque negotijs peririâ, dicendi facundiâ, & in defendendis clientibus diligentia, à quibus sub inde quærebatur, egregium in eo sibi augurantibus patrocinium. A Judicibus alijsque sapientibus viris maximi ducebatur, in primisque à Societatis JESU Patribus, qui ejus in gravibus forensibus causis uti operâ & scriptis voluere. Opes sibi è rostris non exiguas paravit, quibus clanculum egentibus subveniebat, residuisque in obitu pie utens, postremis tabulis am-

Rrrr

plissimos Fidei Quæsitores Mexicanos rebus ut curarent suis voluit rogatos, qui ea optimè in Dei gloriam provinciâ funguntur. Edidit Librum verius quam Allegationem

Pro Societatis JESU Provinciâ Nova Hispaniâ in causâ legati ad Missiones, ut dicimus, testimonio relicti à D. Francisco de Orasco, Episcopatus Vallisolerani apud Michoacanenses Presbytero ab eximia pietate charitateque admodum claro, æque & opibus abundante. Angelopoli, typis Viduæ Michaelis de Ortega Bonilla 1729. in fol.

Pro Marchione de Villapuente personam agente Marchionis Tunium de Rada, &c. Allegationem juridicam, occasione datâ pissimâ utriusque acta, egregieque gesta expendentem. Angelopoli eidem formis anno 1741. in folio.

Multas præterea scripsit *Allegationes* non paucis tomis comprehendas, & publici juris fecit non nullas alias, quarum exemplaria nos in presentia fugiunt.

493 ILLMUS. D. M. D. F. AUGUSTINUS DE ZERRALDE, Episcopus Auxiliaris Seguntinus, Natione Mexicanus, apud Tochmilcum, prope ignivomum in Archiepiscopatu Mexico montem nobilibus Parentibus genitus, Regulam S. Francisci in Cenobio Mexico 6 Novembris anno 1649 nuncupatis votis fuit amplexatus. Postquam litteris operam dederat Philosophicis & Theologicis, Præfecturas aliquot

gcf

gessit, Procuratorque primùm Mexici renunciatus, dein idem pro America nostræ Provincijs ejusdem Instituti munus acturus, in Hispaniam amissus est. A Supremo S. Inquisitionis Consilio Sacris adscriptus Censoribus fuit, à Catholico Rege pro Concionibus instituto coram se habendis. Tum, auxilio ut esset in pastoralibus curis Pontifici Seguntino, Episcopus electus & consecratus, Diocesim perlustrans, febrique correptus diem vidit postremam 22 Julij anno 1679 ætatis 46. Scripsit

Conciones varias.

Ejus meminit Betancurtius, post Menologium, in Tractatu de Illm̃s. Provinciæ S. Evangelij Episcopis pag. 136 n. 8.

494 F. AUGUSTINUS DE ZEPALLOS, Natione Mexicanus, cui natale solum Goatemala, Ordinem S. Francisci in Provinciâ patriâ à SS. nomine JESU dicta, quæ Observantium est, amplexatus, egregio cum à doctrina, tum à vita fuit nomine. Theologiam ubi aliquot annis Sodales suos docuit, atque è sacro suggestu ad populum dixit, Sapientibus insipientibusque multis ipsum elogijs & laudibus prosequentibus, aurâ se subdixit blandienti, & in cella abditus, uni Deo, sibi ac religiosis vacare institutis intra claustra decrevit cõtemplationi cœlestium deditus, jugique propriæ mortificationi. Huic, quoad vixit, proposito

hærens, perinde in amplissima Civitate se gessit, ac si in remotam ab omni commercio solitudinem contendisset. Edoctus in Schola orationis, & abnegationis palæstra, ubertius quam olim in Minervæ Gymnasijs, divina, duos in quarto tomos reliquit scriptos, qui in Bibliotheca servantur Cœnobij Goatemalensis Primarij PP. Franciscanorum: Primus est de Mystica Theologia, ab ijs qui cam callent & excolunt habitus multi, cui titulus

Anima in Deum volatus.

Secundus autem ita habet:

Notæ pro familiaribus concionibus ad sacras Virgines & Spiritualem vitam agentes.

Ut Author nobis est F. Antonius Arochena in sillabo ad nos dato de Scriptoribus Provinciæ suæ n. 10. eorum qui idiomate hispano scripsere. Nostri præterea meminit F. Franciscus Vasquez in Chronicis dictæ Provinciæ Goatemalensis tom. 2 lib. 4. cap. 74 pag. 352.

B

495 M. F. BALTHASSAR DE ALCOCER ET SARIÑANA, Natione Mexicanus, Mexici ortus est ex gente clarissima, Illm̃. Antequerensis Episcopi D. D. Isidori de Sariñana ex sorore nepos. Ab ipsa ineunte ætate avunculum ingenij & doctrinæ laude cum primis

mis famosum, ac si imitandum in animo haberet, totum se excolendis litteris dedit. Sacrum Regiumque Beatissimæ MARIE Virginis de Mercede Ordinem professus, Mexicanæ Provinciæ, cui se addixerat, ornamento fuit & decori eximio, Mexicam juxta Academiam, Parentem itidem sibi dilectissimam, præclarè adornans. Sodalibus Præceptor Philosophiæ datus, mox etiam Theologiæ, Magisterij lauream emeruit, primariasque Familiæ clarissimæ Præfecturas. Collegium à S. Petro Paschasio nominatum Mexici rexit, quod extractis officinis, multisque operibus instauravit, ejus propterea incolumitati proficiens, quod insigne sit Provinciæ Seminarium suæ, è quo celebres doctrinâ & religione viri prodierint, prodeantque quotidie. Cœnobio Primario Mexico Commendator præpositus, strenuum in eo augendo expoliendoque operam navavit, addito deinceps, egregijs sumptibus, amplo Cavèdio, quod laboratis strenuè lapidibus, clathris ferreis, & pictis sacris Imaginibus perpulchrû evasit. Provincialis confidentibus declaratus suffragijs, omnium se exhibuit Patrem Religiosorum; quibus comitate acceptissimus & humanitate, facile studia litterarum, Ordinis que præscripta, ut animo usque tenerent, pro ut solenni ipsis fuerat in more, pergerentque ex animo, injunxit.

496 In Universitate Mexicanensi Doctoralibus utriusq̃ Sophiæ infulus fuit insignis, Cathedralisque præfectus, Vicennium in eo posuit suggestu, qui Sammulis Logicæque tradendæ matutinis horis est destinatus, donec in Primarium Theologiæ Antecessorem Perpetuum (si quidem hanc pridem ad tempus spartam ornaverat, priusquam Philosophiæ Moderatoribus adscriptus fuisset) octo virorum calculis fuit evedctus. Porro Academicis natus exercitationibus, frequentissimus erat in Minervæ atrijs, sive pro thesibus propugnandis, sive pro impetendis scholastico ritu, sive pro quibusque alijs Gymnasia concernentibus alumnosque & tyrones, quorum accommodatus captui perspicuè semper agebat & perhumaniter. Adhæc alijs incumbebat muneribus, quæ egregium decebant Theologum, Censoremque S. Inquisitionis, atque Evangelicum Oratorem. Fato tandem concessit merentibus non Sodalibus modò Mercedensibus & viris Academicis, sed Religiosis etiam Familijs, Jesuitarum in primis, quæ fuerat multa addictissimus consuetudine, Nobilibus que hominibus, & infimæ sortis, quos urbanitate sibi & benevolentia devinxerat. Extant ab ipso edita quæ sequuntur hispano sermone.

Funeris Oratio habita Antequæ Goaxacensium in exuviarum translatione quatuor ejusdem quondam